1

2, Epitaphia Cphi. Merzinii a Kurozwoki.

3, Dreoser, Chrph. Radzivil.

4, Burfius, Oratio funebris.

5, Jacobellus, Feralis pompa in funere A. Corvini.

6, Siemek, Andr. Lipe Lipski.

7, Jacobellus, idem q. no. 5.

8, Ch. de Chalecz Chalecky.

9, Comenius, Spiegel guter Obrigkeit.

19

2

P

EPITAPHIA

GENEROSI ADOLESCENTIS, D. CHRISTOPHORI MECZINII à KVROZVVEKI HÆREDIS IN KLVVOVV, &c. Poloni, partim à quibusdam clarissimis viris partim ab aliis eius amicis scripta.

Cum præfatione ADAMI THOBOLII.

AD

Generosum & magnificum Dominum, D. ANDREAM MECZINIVM à KVROZVVEKI, Castellanum Velunensem, Senatorem regni Poloniæ prudentiss: & Brzeznuiciensem Capitaneum, &c.

ARGENTORATI,
Excudebat Antonius Bertramus, Anno
M. D. XC.

Z

INDEX EPISTOLARVM.

GENEROSO ET

MAGNIFICO DOMINO, D. ANDREÆ
MECZINSKI A KVROZVVEKI CASTELLANO
VVelunensi, Regni Poloniæ Senatori Prudentissimo, Brzeznien siq; Capitaneo: &c. Domino meo clementissimo.

ADAMVS THOBOLIVS S. P. D.

QVatuor res sunt, Magnifice Domine Meczinski, Welunensis Castellane prudentissime: quæ nos ad exteros studiorum gratia ablegatos, magnopere sollicitos, & perturbatos reddunt: Hominum malignitas: Sumptuum difficultas, Morborum vis; & Mortis necessitas.

Harum priores duæ, cum hominum prudentia regantur, industria quadam & sagacitate, eas aut anteuertimus, aut auertimus. Duæ posteriores, solius omnipotentis Dei voluntate, ac nutu, reguntur & gubernantur: Morbis quidem occurrimus aliquandiu, moderatione victus & temperantia: auertimus consilio & auxilio prudentis medici: at Mortem nulla vel prece vel precio à nostris depellere ceruicibus

 valemus.

valemus. Hoc scilicet peccati stipendium Dominus nobis imposuit; hoc omnes nos, subire necesse est.

Prudentis est casibus aduersis occurrere: at mortem vbiuis, omni momento, non expectare, impii. Prudentis est, aduersos deuitare casus: at impudentis, suo plus iudicio & industriæ, quam Dei Decreto tribuere: qui hoc medio in suas nos euocat sedes: Id qui non cernit, non hominem se natum esse ponderat probè: sed contra DEI voluntatem impiè & improbè obloquitur. In tali igitur casu cum omnes subsistamus: quid nos facere deceat, nihil possumus prouidere: nihil dicere amplius, nisi, vt cum ignoremus, quo vita nostra tendat: hoc solum præsidii in nostro cursu statuamus, vt nostrũ Stare & Cadere, in DEI manibus reponamus.

Et quanquam, in decursu totius prioris anni, acerbitas nulla magnopere, per DEI gratiam, nos percusserit: sola tamen MORS, contra nostram curam, contra solicitudinem omnem, CHRISTOPHORVM MECZINIVM, adolescentem Nobilissimum, Fratrem tuum eripuit: in luctum nos deturbauit: in mœrore deposuit incredibili.

Credo ego omnino: te Generose Domine, cum tuis omnibus, non minus mœrere, quam nos doleamus: sed quia nostrum quilibet ipse dolorem sentit: quantus mœror vester sit, æstimamus facile: sentire, vt ipsi

vt ipsi nostrum sentimus, omnino non poterimus. Sed hoc quicquid sit, ego virtuti optimi adolescentis tribuo: qui nisi singularibus præditus virtutibus fuisset, optimamq; spem de se nobis reliquisset: non in tanto luctu, atq; mœstitia, versaremur.

Vellem nunc, de nobilissimi huius adolescentis laudibus, dicere vberius: si id Epistola pateretur. Si enim de parentum eius, ac Maiorum splendore & celebritate, aliisq; vitæ ornamentis: si de ingenii præstantia, si de pietate, & modestia, cæterisq; virtutibus animi, ordine esset dicendum: amplissima sanè & redundans, ad non Epistolam contexendam, sed orationem conficiendam materia mihi sese offerret.

Etenim Generose Domine, quis adeo ignarus, celebrium Familiarum, in potentissimo Poloniæ Regno est, qui non aut fama acceperit, aut ipse cognouerit, quam vetus & celebris familia MECZINIORVM in Polonia sit? quàm Pater ALBERTVS MECZINIVS, Diuinæ memoriæ, nostri CHRISTOPHORI, idemq; tuus & consilio in toga & autoritate in bello valuerit? Nemini ignotum est, quanta prudentia, fortitudine, solertia, pro Reipub. salute, in publicis sæpè consultationibus & iudiciis dixerit: quibus successibus, omnia quæ recta & iusta erant ad exitum perduxerit. MATER vero ipsa, an non tali pietate, tali indole, tali virtute fœmina extitit, qualem esse

esse antiquissima, & nobilissima SZAMOTVLIORVM, familia, prognatam decebat? Quanquam autem Christophorus noster, puer adhuc, orbatus hisce fuerit parentibus Generosissimis & charissimis: tamē ad te Magnifice Domine, eius Tutella deuoluta, ita educatus atq; institutus, vt breui temporis spatio, tantos cùm in pietate tum bonis literis progressus fecerit, quantos ætas hæc exposcebat. Atq; ea quoq; de causa cum Generosissimis, summæq; expectationis adolescentibus studiorum sociis, Nicolao & Stanislao Lataliis, Abrahamo Zbascio, & Christophoro Drohoiovvio, Christophorus noster, huc Argentinam, sub meo Regimine & contubernio pari, abs te missus est. In qua vrbe, à Professoribus doctissimis & amicis obseruandis, ac in primis à Magnifico Domino Melchiore Iunio, Rectore huius Inclytæ Academiæ, ita sumus excepti, & tractati humaniter, vt ad perpetuam eorum obseruātiam, omnino nos deuinctos, obligatosq; intelligamus.

Quorum equidem animos nec dum aduersus nos immutatos experimur: & vero, Christophori Menczinii memoriam, in posterum quoq; hîc cōseruatum iri confidimus. Meruit enim id non solum nominis Familiæq; celebritate: sed etiam propria virtute & industria singulari. Siquidem & naturæ bonitate, quam ex nobilissimis parentibus hauserat, & eximia quadam præstantiq; diligētia, atq; cura, eo peruenire cupiebat, quo ii perueniunt, qui ad patriæ vtilitatem natos sese esse quotidie considerant. Ideoq; nobis omnibus qui eum familiariter noueramus, fuit charissimus. Nam & bonarum artium fundamenta, breui temporis interuallo, fœliciter iecerat: & sæpe dulci mellitoq; consortio prætermisso, otio etiam cōcesso, à librorum complexu ægrè admodū diuelli poterat. Proinde vixit ille nobiscum annis quidem adolescēs, at moribus, & sermone, & factis vir, aut senex potius: vixit sic, vt per breui curriculo, omnes humanæ vitæ absoluisse partes videretur. Cęterum diuinarū quoq; rerum & relligionis studia addidit: cuius desiderio, ita tandem accendebatur, vt omnia quæ cæteri mortales, in terris laudant, mirantur, exoptant, ipse præ pietate, nihili faceret, aspernaretur, cōtemneret, mortis in agone, vt verè dicere posset, quod dixit, Domino se vixisse, Domino moriturum.

Veruntamen, qualis tandem cunq; ille fuerit, fatali necessitate hîc Argentinæ cum luctu & dolore nostrū omnium, nobis ereptus est. Quamuis enim sciamus, ea ipsum natum lege fuisse, vt ex humanis iterum decederet: tamen lucis huius vsuram diuturniorem ei optassem: quò, præsidio Ecclesiæ DEI, vsui patriæ, tibi, totiq; familiæ ornamento futurum, summa tui cum oblectatione, ad te reducere potuissem. Et hanc ipsam

ipſam ob cauſam, nec ſollicitudini, nec vlli curæ peperci, in eo conſeruando: ſed fruſtra: Mortis enim dies aderat, cui nos omnes debemur: qua nihil, vti dicitur, certius, vti nihil incertius eiuſdem eſſe hora ſolet.

Enimuerò mortem quoq; IESVS CHRISTVS DEI & Mariæ Filius, Dominus noſter, qui nullum vnquam admiſit delictum, guſtauit, vt nos æterna liberaret morte, quam nos delictis noſtris fueramus promeriti. Et omnes dilecti DEI debitum mortis perſoluerunt: non eam, quamuis fidelis, Abrahamus euitauit: non Moſes, licet ſolus ad Arcana DEI acceſſum habuerit: non Dauid ille vir ſecundum cor DEI, non Baptiſta Ioannes, quamuis inter natos ex mulieribus ſanctiſsimus fuerit: quin etiam Maria ipſa, cum aliis nominibus, tum perpetuæ virginitati titulo inſignis, peccati ſtipendium, homo nata, perſoluit. Idem ſubierunt fatum Apoſtoli, ac cæteri amici DEI fidiſsimi. atq; ſic cœleſtem ſedem attigerunt.

Sic habet Chriſtophorus noſter, ſic & nos habituri ſumus, excellentiſsimos & ſanctiſsimos vltimæ peregrinationis comites: nec eſt, cur nos meliorem expetamus fortunam, illis qui animo cupido ex hac vita exceſſerunt: nec virium noſtrarum eſt, recuſare, eam ingredi fati ſemitam, quam omnes inire ſancti, ab exordio mundi, non fuerint grauati.

Itaq;

Itaq; non grauatè ſed libenter ex hac quaſi cuſtodia Chriſtophorus noſter abiuit. Ex miſeria & calamitate, ad ſolidum gaudium; ex diſcordia, ad æternam concordiam: ex periculis, ad ſecuritatem: ex terrena fragilitate, ad æternam firmitatem: ex tenebris, ad veram lucem: ex hominum conuerſatione triſti, ad lætum Angelorum conſortium, translatus eſt: abiuit lætus, ex his miſeriis, ad æterna ſolatia: abiuit ad piorum cœtus, quorum animæ beatorum cõſortio fruuntur. Argentinæ depoſuit corporis exuuias: Argentinæ apud Sanctum Gallum humatus eſt: Spiritus ad beatorum ſedem emigrauit.

Agit autẽ vna nobiſcum gratias: & merito quidẽ agit, tot præſtantiſsimis hominibus, Nobiliſsimis Viris, Illuſtriſsimorũ Principum, Marchionis Brandeburgenſis & Brunſuicenſium, ac Lunæburgenſium Ducum, Aulicis: agit Illuſtribus Comitibus, & Generoſiſsimis Dominis Baronibus: agit Nobilitati vniuerſæ: agit Reuerendiſsimis & clariſsimis Dominis Paſtoribus, & Eccleſiæ Miniſtris, & toti Clero: agit Magnifico D. Rectori, omnibus Profeſſoribus ac Præceptoribus colendiſsimis: agit numeroſo atq; ornatiſsimo cœtui Scholaſtico, inclytæ huius Academiæ: qui ad funeris exequias cohoneſtandas, frequentes conuenerunt: fatetur & teſtatur, perpetuum amorem, ſtudium & obſeruantiam erga ſingu-

B los:

los: hoc etiam nomine, vobis omnibus fœlicem rerum successum, huic vero Academiæ, atq; vrbi incrementa, exoptat ac precatur perpetua.

Tibi verò Generoso Domino Andreæ Meczinski, Castellano Welunensi: tibi Alberto Meczinio, vtriq; Fratri germano, & vobis patruelibus Iohanni & Nicolao, Vale, vltimum dixit: vobisq; Zophiæ & Barbaræ, sororibus pientissimis & nobilissimis, ac Generosis suis amicis, & Affinibus vniuersis, bene esse, & esse diu cupit, omnia optat ea, quibus vitæ cum huius tum futuræ, felicitas æstimatur.

Tuam vero, inprimis, Magnifice Domine Andrea, tuam inquam, plusquam fraternam animi propensionem celebrat, proq; Tutoria cura, immensas agit gratias, qui in eo educando, sumptibus liberalissimis, sollicitudinem, & curam nunquam deposueris. Et quia iam referenda gratia, par in his terris, non est, tuam hanc de se tuendo & conseruando, Tutoriã autoritatem, plusquam Paternam, ad cœlestem patriam deportat, precaturq; vt summus ille DEVS, te & tuos omnes, in hac vita, florentes & saluos, quam diutissime conseruare dignetur. Rogat vero, ne hanc sibi inuideas, sedis mutationem, non se amissum ait, sed præmissum: Fiet, inquit, breui, vt ad cœlestem hanc patriam, læti & triumphantes deducamini. Erit tibi Anaxagoræ responsio commendata, qui accepto de filii morte nuntio: Hoc non nouum respondit, apud me est: semper enim sciui me mortalem genuisse: & quod Paulus, electum illud vas DEI Thessalonicensibus inculcauit diligenter, ne essent inscii, eorum qui obdormierint, & crediderint, quod IESVS mortuus sit & surrexit, quod sic omnes, DEVS, qui per Christum mortui sunt, excitaturus sit.

Abrahamus vnicum filium, paratus erat, immolare: vt promissionem vitæ æternæ consequeretur: & quid igitur obstat? quominus & nos DEO lubentes offeramur, quandoquidem piorum gaudiis certo associabimur, miseria humana eximemur, & æterna beatitudine fruemur. Præclarè Syracides: memor, inquit, esto, iudicii mei, sic enim erit tuum, mihi HERI ET TIBI HODIE: prȩclarè & Dauid, ieiunabat, & continuè orabat ægrotante filio; sed eodem ex hominibus abrepto, quia sciebat, eum amplius reuocari ad se non posse, ad ipsum potius iter parabat. Habemus ergo exempla, certioris patriæ nostræ: habemus huiusce vitæ, exigui curriculi documenta manifesta. Quod restat, nostrum est videre, quemadmodũ nos, ad iter hoc prȩparamus, atq; vt directa via ad optatũ, sempiternæ salutis portum perueniamus.

Sed ne Epistolæ prolixitate, terminos prætergrediar, receptui canam, & quid fieri placuerit, in huius limine repetam. Placuit autem doctissimis Viris &

Præceptoribus obſeruandis: placuit amicis: placuit & mihi efficere, ne dum Chriſtophorus moritur, eius quoque nomen morte ipſa obliteraretur: placuit, inquam, defuncti virtutes, quas viui amaueramus celebrare: ac ſimul huiuſmodi officio quaſi pietatis ſarcinas, parare, quas confirmati, ſpe vitæ ſempiternæ, idem ter ingreſſuri, ceu fidei noſtræ effecta, colligare oportet, quam plurimas.

Leges ergo ab amicis ſcripta pauca hæc, & leges eo vultu, quo viuum loquentem tecum cuperes: nec te Chriſtophori Manes magis oblectent oportet: quàm olim ipſe oblectabatur, cum tecum viueret. Cogitabis nihil accidiſſe ipſi, quod non præſciueris antea, & me ita cum tuis dimiſiſſes omnibus: vt tuum hoc poriſma mecum etiam extra limina patriæ deferrem: fati neceſsitatem, perenem dediſſe naturam, nec à quoquam, temporum vel locorum interuallo, vllis protogare terminis: vel vt non falſus Seneca, ait: Vnum omnibus nobis finem naturam, vel ferro ſeptis ſtatuiſſe. Fruſtra ergo miſelli fugiemus mortem, quos vita fugit quotidie: cuſtodienda potius, & diſpenſanda, vt mancipi, vt non propria. Fruſtra ærumnas declinamus, quos mors & ſollicitudo ſequitur perpetua, Ambitio ipſa & Auaritia: conſilia fraudulenta, fallax fortuna, fides fluxa, ſpes vana, quies incerta, fucata virtus, fama inanis, quærimonia & dolor, Mors denique, donec homines. Hîc finem Epiſtolæ facerem, niſi ipſe Chriſtophorus, in limine huius, te alloqui ſit paratus, quem tu, vt ſpero, audire, non grauaberis:

Rebus in humanis, quàm fas ſit fidere rebus,
Quàm properet tacito, M O R S inopina gradu.
Exemplo diſces noſtri: nec triſtia fata,
Aut genere aut opibus, effugienda putes.
En ego M E C Z I N I V S, genuit quem S A R M A T I S ora,
A R G Y R O P E S mea nunc, contegit oſſa ſolum.
Scilicet vt nudus vitales naſcor in auras,
Tunc vitæ ſcripta eſt, hora locusq; meæ.
Sic Orbes currunt: Vita eſt obnoxia morti:
Me cito: te ſero veſpere nauta vehet.
Ergo ſi tentas, fatis me abducere amice,
Ignoras quàm nos vincere fata queunt.
Quin potius triſti fletu, lachrimisq; remiſsis
Dic modò, defuncti molliter oſſa cubent.
En, Iudex cùm aderit C H R I S T V S ſuper æthera, cernam
Te rurſum cæli lætus in arce. Vale.

Hoc decretum Diuinum, & vitæ humanæ ſortem te egregiè noſſe ſcio: ſed & vitæ momenta expendis altius, & Chriſtophori regreſſum, ſed glorioſum illum & lætitiæ plenum rectè & piè, expectas.

 Nos

Nos verò peregrinabimur interea, & militabimus breui hoc vitæ ſpacio, vt Chriſti victoria obfirmati, tandem Pacem conſequamur, & ſedem illam optatam occupemus, qualem nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Vale iterum iterumq́ꝫ, Magne Vir, Andrea Meciznski, Domine clementiſs: Datæ Argentinæ 22. Octobr. Anno 1590.

T. M.

deditiſſimus S.

Adamus Thobolius.

RECTOR ACADEMIAE ARGENtinenſis, MELCHIOR IVNIVS Witebergenſis: Studioſis Adoleſcentibus S.P.D.

CVM varia peregrinatores omnes fortuna vtuntur: tùm difficilem, miſeram, afflictamq́; eandem illi potiſsimùm experiuntur: qui, non quæſtus ac lucri, non præconij, non legationis, non alterius alicuius cauſa, ſed ſtudiorum gratia regiones longinquas adeunt: loca viſu digna luſtrant: miranda, vel artis, vel naturæ opera ſpectant: gentium obſeruant leges: mores conſiderant: notant inſtituta: viros in Eccleſiis atq́; Scholis doctos audiunt. Ablegantur enim plerunq́; adoleſcentes, non rarò pueri: à dulciſsimo parentum complexu auulſi, aliis quoque rebus abſtracti, quibus capi ac deliniri prima ætas ſolet: & itineribus bene longis ablegantur: vbi aſperitates ſeſe multæ offerunt: non pauca pericula oſtendunt: morbi graues atque periculoſi naſcuntur: mors ſæpe immatura ac præpropera reditum in patriam intercludit. Veruntamen in his idem quoque deprehenditur, quod de voluptate ac dolore in Phædone Plato ſcribit: & multis magnisq́; in moleſtijs atq́; difficultatibus alleuamēta quædā DEVS *concedit: ſuppeditat præceptores diligentes: ſedulos, induſtrios: comites dat fidos ac iucundos: curatores, & corporis, & animæ largitur peritos: hoſpites commodos ſubminiſtrat: ſuggerit alia neceſſaria. Etiam cum ex hominibus*

nibus inter peregrinos abeundum: Spiritu suo Sancto ita munit tales & confirmat: vt, ac si in gremio matrum sederent, infractis, erectis, excelsis animis hanc cum morte vitam commutent. Quod & nobili adolesceti CHRISTOPHORO MECZINIO à KVROZVVEKI contigit: qui studiorum gratia hâc in Academiam missus diisenteria periit. Ante enim menses vndecim ex Polonia huc ille venit: familia ortus nobili, locupleti, copiosa, præclarè de Repub. maximè verò Ecclesia merita: & de consilio huc venit fratris Generosi ac Magnifici D. ANDREÆ MECZINII: Senatoris Regni Poloniæ prudentissimi: Castellani VVelunensis: Capitanei Brzezniciesis: Academiæ huius sũmi fautoris. Difficultates in itinere haud exiguas exorbuit: in morbum hîc grauem incidit, qui & vitæ huius eidem finem attulit. Sed præpotentis idem Dei benignitatem est ac clementiam singularem expertus: cum ornatissimum & doctissimum virum D. ADAMVM THOBOLIVM studiorum præfectũ est nactus: qui, vt semper aliâs, ita hoc in morbo, cura, fide, diligentia, non præceptor, sed parens extitit: commilitones ac contubernales habuit Generosos quatuor: NICOLAVM & STANISLAVM LATALIOS: ABRAHAMVM ZBASCIVM & CHRISTOPHORVM DROHOIOVIVM: inuenit peritos & industrios Medicos: Theologos synceros: hospitem promptum: parata atque expedita cætera: animam denique in vera Seruatoris nostri CHRISTI inuocatione efflauit.

Quæ huic contigisse omnia minimè mirabuntur, quibus cognitus iste adolescens fuit. Non enim, quod laruati quidam Studiosi faciunt, aut fortunis elatus, aut prauis corruptus sodalitijs, præceptores ille suos contempsit: transuerso pædagogum humero aspexit: officium facientes adolescentes alios, vt vulpeculas in cauernis latitãtes scholasticos risit: viam ad Scholam ducentem ignorauit: quæsiuit cauponulas, thermopolia, nymphæa, sphæristeria, palæstras: sed id: cuius huc missus gratia erat, ardẽti atq; alacri studio peregit: pietatis amans: cupidus legum ac disciplinæ: præceptorum obseruans extitit: nuncium omnibus ijs remisit: quæ DEVM offendere: mœrore afficere parentes: excruciare præceprores: vitam deformare Academicam cõsueuerunt. Itaque ad imitandum hunc sibi omnes ij proponent: qui, quod parentibus, quod familiæ, quod patriæ, quod denique ipsi DEO debent, persoluere: felicem quoque aliquando & pacatum vitæ huius exitum consequi cupiunt. Sed & eidem, cùm multis alijs, tùm hisce potissimum nominibus honos postremus funeris deductione frequenti exhibẽdus est. Efferetur autem hodie hora tertia ex ædibus Generosi D. Comitis ARNOLDI à MANDERSCHEID, Fratrum Curiæ, vicinis. Valete Argentinæ IIII. Non. Sextil. Anno recuperatæ per CHRISTVM salutis M. D. XC.

C ORNA-

ORNATISIMO DOCTISSIMOQVE VIRO D. ADAMO THOBOLIO, amico suo optatissimo, Melchior Iunius, Argentinensis Academiæ Rector, S. P. D.

CVM in Generosi tui discipuli, D. CHRISTOPHORI MECZINII à KVROZVVEKI nuper funere mœstitiam ac consternationem ego tuam grauem, alumnorum disciplinæ tuæ atque popularium luctum ingentem viderem: simul quoque cogitarem, quantæ & indolis, & familiæ morte hac abreptus præpropera adolescens esset: peracrem acerbúmq; doloris morsum sensi: ad Illustrissimorum itidem, Illustrium, Generosorum, Nobilium eorum animum meum memoriam reuocaui, qui aliquot iam apud nos, studiorum gratia, annis vixerunt: atque ita vixerunt, vt desiderato suorum nemine, salui ipsi & incolumes nobilissimum ac potentissimum in Poloniæ regnũ, patriam suam, redierint.

Dignam sua præsentia Scholam nostram iudicauit Illustrissimus Princeps ac Dominus, D. Christophorus Nicolaus Radiuil, de Nieswiez & Olyca, Trocensis Palatinus: vnà cum Generosissimo & Magnificentissimo D. D. CHRISTOPHORO, non minus antiquissima illustrissimáque Zborouiorum familia claro: quàm doctrina, prudentia, reiq; militaris peritia celebri.

Fuit in eadem Generosus D. D. Georgius, Dominus de Latalice & Labischin, Posnaniensis Palatinaris, ante in Gallias quàm iret: & post ex aula Henrici II Regis, in Germaniam reuersus, clarissimum virum, communem nostrum Præceptorẽ, D. Sturmium, cæterósq; Scholæ professores clementer salutauit. Eius adhuc summa cum obseruantia apud nos memoria seruatur: vt & grata iucundáq; epistola est illa, quam de eiusdẽ tum adolescentis virtutibus heroicis ad Ioachimum Camerarium D. Sturmius scripsit.

Studiorum apud nos est causa aliquandiu commoratus Generosus D. Ioannes Drohoiouius, Sanocensis Castellanus, regniq; Senator prudentissimus ac literatissimus: qui quàm, etiam num, nostram sit in Academiam animatus egregiè, vel eo testatum abundè fecit, quòd, vt Generosus D. Latalius secundò suos huc filios misit, ita fratrem hic germanum Christophorum, adolescentem egregio ingenio, pietate eximia, virtutibus præditum alijs singularibus, ablegare tecum voluit.

Vidit Generosos plurimos alios nostra Academia: D. D. Ioãnem & Nicolaum Ostrороganos comites: cum nobilissimo prudentissimóq; viro, D. Mileiouio, morum præfecto, & præceptore Ioanne Iona Morauo, homine literatissimo. Vidit Firleios, Sieninios, Crotouios, Gostomios, Chlebouicios, Boneros, Sieniauios, Miscouios, Ossolynios, Narussouicios, Czizouios, Samotulios, Plasas, Zelenios, Goluchouios, Czerninos, Goraios, VVolouicios, Vidauios,

Lutomirios, Sienicios, & alios quamplurimos nunc in vestro Poloniæ regno, Proceres primarios, & prudentissimos. Vidit nuper Generosum D. Sendiuogium Comitem Ostroroganum, & eiusdem adhuc videt fratres Generosos D. D. Stanislaum & Ioannem Iacobum, cùm verè literatos, tùm literatorum amantissimos.

Etiam tu, doctissime D. THOBOLI, amice optatissime, sæpe ad nos feliciter ex Illustri, generosa atq; nobili iuuentute adolescentes duxisti non paucos, quorum patria nunc inclyta consilijs auxilijsq; vtitur. Ante quoque annum, gratus cum primis acceptusq; nostram in vrbem venisti cum generosis summæq; spei præclaræ, & virtutis, & doctrinæ adolescentibus Dominis, D. Nicolao & Stanislao Latalijs: Abrahamo Sbascio: Christophoro Drohoiouio, & Christophoro Meczinio: in quibus instituendis talem te præstas, qualem exhibere ante semper es solitus: virum scilicet bonum: moderatorem grauem: præceptorem doctum, fidum, industrium.

Primo hic tibi postremus est fato abreptus D. Meczinius: non medicorum à morte liberare eumq; peritia, fides, diligentia: nõ seruare tua verè paterna cura atq; solicitudo valuit: Viuis in angore hinc animiq; cruciatu maximo. Neq; fieri vllo posse modo intelligo, quin nuncio hoc tristissimo domum allato, Vir ille de Ecclesia Req; publica meritus præclarè, Generosus D. Andreas Meczinius, Velunensis Castellanus, & Senator Regius amplissimus, ingentibus doloris facibus incendatur: discrucietur itidem eiusdem frater Generosus D. Albertus cum affinibus sanguineq; iunctis aliis: maximè si & ad ætatem respicere: & ingenij considerare præstantiam: & virtutes præcellentes ponderare voluerint.

Veruntamen sciunt illi, quod & tu non ignoras; eam hîc quam degimus vitam, nomine quidem vitam, re autem vera viam saltem ad vitam esse: habuisse eos fratrem ac cognatum, te discipulum, tanquam amissuros: amisisse se tanquam habituros aliquando: ea ipsum in vrbe ad vitæ vocatum exitum fuisse, in qua, citra arrogantiam quod scripserim, nihil deesse illi potuerit eorum, quæ cùm ad animi, tum corporis necessaria curam videntur. Ita deniq; piè ac sanctè ex hominibus eum abijsse nosti: vt se ac suos hac excedere è vita omnes boni optarent.

Quamobrem neq; illi, opinor, ægritudini sese totos dedent: neq; tu curis, querelis, lamentis te macerabis ac conficies: sed in eo potius occupatus eris: vt, quæ in demortui sunt Generosi discipuli laudem atq; memoriam, nostra in Academia scripta, lucem aspicere, inq; hominum primo quoque tempore venire manus queant.

Ita fiet, vt ad cætera promerita tua Generosum tuum in discipulũ profecta, magnus veluti cumulus accedat: ab obliuione atq; interitu eiusdem memoria vindicetur: generosa Mecziniorum familia intelligat, pietatis, obseruantiæ, hospitalitatis hac in vrbe atq; Academia, quantulacunq; officia suis minimè defuisse. Vale vir ornatissime ac doctissime, amice optatissime, Argentinæ. &c.

DIONYSIVS GOTHOFREDVS I. C.

Adamo Thobolio, amico singulari, S.

NIhil iam, (Thoboli amantissime,) quidquam suppetit nobis aliud quod ipsi tibi perscribamus, præter sparsa nescio quæ, ita perturbata ac cōfusa, vt, si ea vera sint, amicos penè omnes, atq; in primis patriam longè charissimam exitio proximā esse putem. Hic nimirum curis meis familiaribus & domesticis miseriarum cumulus restabat, vt me superueniens alia atque alia exciperet sollicitudo. Ego cùm animo ista, tanquam ex specula, prospecto, in luctus maximos incidere me necesse est: quo tanto planè conficerer mœrore, nisi vel fortia maximorum virorum, (& quidem veterum,) præcepta in gradu statúq; me retinerent, vel anteactæ feliciter vitæ meminissem. Hac enim felicium temporum ob oculos quasi subiectione atq; recordatione, præsentium quodammodò sollicitudines temperare ipse mihi sentio. Itaque, (vt id scias,) pingue illud otium lubens retracto, quod & à cælo & à cura magistratus sapientissimi, mihi ante aliquot annos contigisse, ipse testis es: & quidem præsens atque oculatissimus. Aderas enim tu nobis Hierapoli, cum selectissima nobilium Polonorum manu: quorum ingenuis, placidissimis & modestissimis moribus, (si quibus maximè) ciuitas tum nostra & Academia efflorebat. Aderant quoque inter multos alios generosissimus & nobilissimus

Andreas

Andreas Crotouius, Petrus Goluchouius, Stanislaus Plaza, Petrus Grabscius, alijq; multi quorum memoriam tam mihi diuturnam fore prospicio, quàm victuras illorum virtutes confido. Quòd si anteriora etiam tempora repetere mihi licebit, tranquillitatis vera illa imago atque effigies mihi eodem momento occurret, qualis apud nobilissimum Andream Leschinium multis mihi fuit mensibus. Hunc, constitutus iudex, nescias vtrum domestico an parto manu potius splendore magis commendes. Sed age, ij nunc simus, qui non externis sed suis atque internis hominē æstimemus. Magnum equidem illi est, quòd ab illustri gente, longo stemmate, ortum se ac procreatū possit dicere: maius tamē quiddam illi ac proprium, quòd iam Tartari, Moschi, Turcæ eius validas manus & virtutem Heroicā sentiūt. Ad te tuósq; discipulos (mi Thoboli) iam descendam, quos diligentia ac fide summa sic instituere mihi videris, tanquā ad imperia (& quidem maxima,) natos. Par vtrisque vobis docendi discendiq; affectus est, vt cum fructu effectum optatissimum consequi sit necesse. Ordiar à tuo Abrahamo Zbascio, cuius ingenium singulare vel in hoc sum maximè admiratus, quòd in promptu orationem non Latinam modò, sed & elegantem, (actione oratoris maximi semper cōseruata) in nobilissimo clarissimorum virorum cœtu, me præsente, habuerit. Quantum amicis, quantum patriæ fuerit ab illo adolescente benè sperandum, tantum honoris ac famæ accedere tibi video, qui tale ingenium ad miraculum

Vsque

vsque excoluisti. Ad Nicolaum & Stanislaum Latalios tuos, quod attinet, habes præstantia & singularia in illis duobus adolescentibus ingenia: & vt vno verbo tibi dicam, Generosi fratris eorum Georgij minoris Comitis Labiscani, verè germana. Quid amplius? In Droiouio tuo, potui (vel ipso ex vultu) nobilissimi vtriusque Droiouij adgnatum facilè agnoscere, quos olim ad interiorem vsque notitiam perspectos, magnis apud vos honoribus fungi partim ex te, partim ex alijs multis intellexi. Scio, iam desideras in illo grege tuorum ac numero, CHRISTOPHORVM MECZINIVM: *& eò quidem affectu maiore quò tenerius illum dilexisti, quò denique dotes ingenij eius admirabiles, tuæ disciplinæ auctiores feceras, spem (scio) tu eam in nobilissimo adolescente cõceperas, quantam vix in vllo eius ætatis alio. At tu nunc cogita & quidem seriò, quantæ nobis (qui hîc viuimus) perturbationes animorum: contrà verò, quàm illum alta pax maneat. Nobis, nullæ nisi virtutis vmbræ; solidæ ac totæ virtutes, illi jam conspicuæ sunt. Denique illo nunc est loco, in quo nulli nisi felici ac beato locus est. Grande interea tibi solatium puta, tua neque incuria neque indiligentia perijsse, vt in quo spes omnium maximas animo tuo conceperas, quem ætatis tuæ extremæ patronum sperabas, quem abeuntem ex hac vita, animæ tuæ dimidio, (si potuisses,) hisce in terris retinere paratus eras. Quæ nisi tibi satisfacient omnia: age tu tandem Christophori*

tui,

tui fratrem generosum Andream Meczinium tibi propone. Putásne virum fortissimum, Castellanum Velunensem, regni senatorem integerrimum, ad exitum fratris animo cõcidisse? Erras, si id censes. Nouit mortalis mortalem perijsse. Et cui tandem bono illæ querelæ fuissent? Quis naturæ ac diuino fato manum inijciet? Siue viuimus, siue morimur (Thoboli) æternam Dei legem semper prospice, & quidem variè vtentis sua potestate. Perijsse putas? Imò viuit; nisi tu à recepta familiæ Christianæ secta discessionem facias. Vide itaque vt à terra, hoc est, ab affectionibus istis humanis, ad tui diuinam ac cœlestem partem ascendas. Nulli inibi sunt venti; omnia serena. Deum ac diuina, nulla tui parte melius aspicias. O te felicem, si te cogitationibus istis tradideris. Vale. Basileæ. Vlt. Sept. 1590.

IN ROSAE INSIGNIA
GENEROSI ADOLESCENTIS D. CHRISTOPHORI MECZINII, HÆREDIS in Klvvovv, Equitis Poloni: qui magno amicorum dolore, & patriæ desiderio, Argentinæ in vera pietate occubuit, 4. Augusti. Anno 1590.

HENDECASYLLABI.

VT flos falce tener cadit recisus,
Cum tellus vario decora cultu est:
Vt rosa Idaliæ sacrata Diuæ,

D *Auroræ*

Auroræ lachrymis rigata surgit
Promens purpureos amœna vultus,
Spirans ambrosios odora fumos:
Mox Austri rapidis petita flabris,
Demittit caput, exuitq; cultus:
Sic insignia cui Rosæ dederunt,
Ortu Meczinius potens auito,
Flos florum generosus, heu iuuentæ
Primo flore perit caditq; fatis.
Heu quantum Charites nouemq; Musæ
Virtutumq; capit chorus doloris.
Nec non Thobolius pij Magister
Visu dicipuli ingemiscit orbus:
Quem Virtute Fideq; Literisq;,
Quem morum probitate singulari
Cultum, plus oculis suis amabat.
O curas hominum nimis fugaces:
En sub flore cadit virentis æui,
Dignus Nestoreos videre canos.
Verum haud occidit ille, sed quietus
Aulas incolit, ætherisq; sedes,
Et vita fruitur beatiore:
Quam nec vis Boreæ furente flatu,
Nec turbat rigidis procella fatis.
Ergo lethiferos Adame luctus
Secludas animo, Notisq; dones.
Sic te post superi fauor Tonantis,
Commissamq; tibi regat iuventam.
Sic Zbasci superes Abrame longùm:
Sic & Lataly pares amore
Et pares animis diu superstint.
Ac Drohotouius sereniore

Fato

Fato currat iter fugacis æui.
Vestros deniq; Rex poli benignè
Conatus beet: vt plagas reuersi
Olim Sarmaticas, decus perenne
Et sitis generi & solo paterno.

Petrus Broderodius Hugocomitanus I. C.

Aliud

IN EIVSDEM ROSAE INSIGNIA.

VT *ROSA puniceos diffundit MANE colores,*
Corporis & gratum fragrat ab orbe sui:
Cumq; CADIT PHOEBVS, foliorum amittit honores,
Nec tamen innati perdit Odoris opes.
Sic quoq; MECZINII crescunt à limine vitæ,
Et vigor in Bello Consiliisq; manet:
Cumq; animas ponunt, pulcherrima gesta relinquunt,
Et nunquam extincto mentis odore scatent.
O ROSA Diuinis adiuta caloribus, horis
A matutinis brachia pande tua:
Et si Vesper erit, fragrantes porrige fructus,
Sic tuus æterno flore vigebit honor.

Adamus Thobolius.

HENRICVS STEPHANVS Adamo Thobolio S. D.

QVàm mihi istac iter facienti iucundum fuit, mi Thoboli, & tecum amicitiam inire, & tuos discipulos, optimæ indolis (qualis tam generosos decet) optimæq́; spei adolescentes, simúlq; tuam in illis instituendis singularem industriam videre: tam triste mihi fuit de vnius morte nuntium. Quum enim haberes Abrahamum Zbascium, Nicolaum & Stanislaum Latalios, Christophorum Meczinium & Christophorum Drohoiouium: priorem illum Christophorum nunc non dicis habere te, sed habuisse. Laudo autem quòd, quemadmodum bonus præceptor est suis discipulis veluti alter parens, ita tu illi discipulo parentare (liceat enim & parenti hoc verbum tribuere) statueris. Laudo, inquam, hoc tuum propositum: modò videas ne quid nimis: & ne tam honorificæ ac magnificæ sint istæ musarum exequiæ, vt eiusdem honoris desiderio velit cæterorum quispiam condiscipulum suum sequi: & ita luctui iam veteri aut saltem semiueteri nouus (quod tamen auertat bonitas diuina) superueniat. Ridebis mi Thoboli fortasse, quum me de tali periculo te monentem audies. Quòd si risum elicere tibi potuero, voti planè compos factus fuero. hic enim risus aliquod ab illo diuturno luctu laxamentum fuerit. Verùm, ad illas exequias vt reuertar, ego certè in eas asymbolus esse nolui, sed tria Epithaphia contuli: quæ ad te mitto. Vale. Basileæ. VI. Cal. Sept.

Primum Epitaphium est hoc.

Gloria Mecziniјs quondam ingens esse volebas:
Vnde tibi ad sophiam tantus is ardor erat.
Interea in cœlum raperis iuuenilibus annis:
Atque ardor mortis causa fit ille tuæ:
Gloria terrestris sic spem sperata fefellit,
Sed spem cœlestis præuenit illa tuam.

En tibi secundum.

Doctrinæ sitis huic vrebat pectora tanta,
Vt vellet studiјs haudq; vacare sibi.
His impallescens, tandem est immortuus iјsdem:
Résq; ad doctrinam hæc perbreue fecit iter.
Nam bonitas diuina illum miserata laboris,
Est (inquit) iuuenis dignior iste polo.
Irrita verba haud sunt, post paulo linquere terram
Cogitur, ínq; arcem scandere sideream.
Ergo doctrinæ cui tantùm riuulus antè
Turbidus, haurire hanc vnde liceret, erat:
Limpidus huic eius nunc est fons. vna dat hora
Plus doctrinæ, quàm hîc tempora longa darent.

Accipe tertium, quod est tanquam ab ipso loquente.

Illum ego stelligerum sum iam susceptus in axem,
Quo spes non fuerat tam citò posse frui.

Multa hic doctrinæ mihi se mysteria pandunt,
Se quibus aut dignum dixerit esse solum.
Qui dolet ergo me sublatum è sedibus istis,
Tot bona queis fruor hic, inuidet ille mihi.

AD VIRVM DOCTISSIMVM DOM. ADAMVM THOBOLIVM, amicum singularem:

EXtrà quòd Patriam moritur tibi, docte THOBOLI,
Discipulus præstans moribus, ingenio.
Ac veluti viridi flos immaturus in agro
Transit, qui longùm viuere dignus erat:
Est durum, fateor: sed Fatum; vincere nulli
Quod licet: hinc iuuenis virq; puerq; iacet.
Stat sua cuiq; dies, stat vitæ terminus: vltrà
Qui cupit hanc metam currere, vana cupit.
Pone igitur questus: requiem concede sepulto,
Qui nunc ætheree gaudia pacis habet.
Felices animæ queis æui in limine tali,
Contigit hoc misero tempore summa dies.

T. Philippus Glaserus.

ODE CONSOLATORIA,

AD ORNATISSIMVM DOCTISSImumq; virum D. Adamum Thobolium Polonum; de morte Nobilis ac generosi adolescentis D. Christophori Meczinij, &c. discipuli, Argentinæ defuncti, &c.

ECquid, THOBOLI docte, perennibus
Sic cuncta prodest tempora lachrymis
Dicare, frustra & flendo tristem
MECZINII ingeminare casum?
Illumq; vanis poscere cœlites
Suspiriis? qui hac non tibi creditus,
Parentibus ve, est lege, duram
Mortis vt effugeret seueræ.
Manum superstes. Scilicet omnibus,
Quicunq; vitæ munere fungimur,
Mortalium creti parentum
Sanguine, mortis iter terendum est.
Tibi quidem ille, & fratribus optimus,
Bonisq; multis, flebilis occidit,
(Flos pulcher aruo ceu recisus
Falce cadit) properante fato.
Spes cum peramplas iam indolis optimæ
Rariq; dotes proderet ingenI,
Patronus olim ingens futurus,
Atq; soli columen paterni,
Virtutis illo nullus amantior:
Non artium quisquam studiosior
Illo bonarum: vel pelasgæ, &
Ausoniæ pariter loquellæ.
Mores probati pectore firmiter
Pio sedebant, blandaq; comitas
Pudore cum sanctoq; verus
Relligionis honos vetustæ.
Quid mentis infractæ referam decus
Robustæ firmi membráue corporis,
Ad omne quondam sat parata
Martis onus benè sustinendum?
Hæc cuncta nimirum lachrymabili
Secum sepulchro flebilis abstulit:

Fratrum

Fratrum quibus cum consepulta
Spes iacet, & tuum, ADAME, votum.
Quid ergo? num tu fletibus aspera
Fati valebis iura refringere:
Dabisq; defuncto, vt recurrat
Ad Superas rediuiuus auras?
Illum Deorum concilium tenet
Nunc lætiorem: ipse vndiq; flammeis
Cinctus ministris, tecta gaudens
Inhabitat melioris aulæ.
Expers doloris, plenaq; gaudijs
Vbi vsq; floret vita recentibus,
Humana quæ non auris hausit,
Non oculis data sunt videre
Mortalibus: circundata terreo
Sensêre quæ non pectora carcere,
Hæc captat, horum vsu perenni
MECZINIVS fruitur beatus.
Nec magna terrenûm atria principum
Arcesq; Regum, si foret optio,
Præferret illis, regna magnis
Des licet accumulata regnis.
Mentem ergo edace à sollicitudine,
ADAME, tandem fac reuoces tuam:
Cæli beatam ne inuidere
MECZINIO videare sortem.
Dabuntur olim tempora (quæ precor
Venire tardo sustineant gradu)
Cùm mole terreni solutus
Corporis, æthereas ad arces
Lætus volabis, CHRISTOPHORVM tuum
Visurus almo lumine splendidum, &
Cælestis

Cælestis aulæ gaudiorum
Perpetuo socius futurus.

M. Iosephus Langius Cæsaremontanus, debitæ gtatitudinis, obseruantiæ & συμπαθείας testificandæ gratia, F.

EPITAPHIVM
GENEROSI DOMINI CHRISTOphori Meczinii Equitis Poloni.

SIc quoq; tu nobis præbes generose Meczini
Argumentum ingens vitæ breuitatis & æui.
Non ita te pridem conspexi corpore firmum,
Colloquijs gratum doctis, vultúq; serenum,
Motu agilem, studijs alacrem, vitâq; modestum,
Virtutis veræ & sanctæ pietatis amantem:
Nunc de morte tua nostras heu nuncius aures
Verberat ingratus, duriq; est causa doloris.
Te verò, Andrea, laus nobilitatis auitæ,
Excepit maior luctus, quia fratre carendum est,
Qui vestræ fuerat decus & spes altera stirpis.
Tu Zbasci, & vos Lataly, par nobile fratrum,
Tuq; Droboioui, mœrorem hauritis acerbum,
Dum condiscipulum vobis mors abstulit atra.
Te verò te præcipuè perchare Thoboli
Discipuli cruciat fatum, & dolor occupat ingens.
Sed tibi depromo magnas de pectore grates
Magne parens, autor vitæ, regnator Olympi,
Qui nobis in morte etiam solatia præstas.
Firmiter est omni persuasum tempore nobis,
Perpetuo esse quidem tibi nostra negotia curæ:
Dum nobis huius tribuis primordia vitæ,

E *Dum*

Dum medium regis, & finem das quando lubescit.
Fortuitò nemo mundi huius prodit in oras,
Nemo fortuitò mundi huius deserit oras.
Quin vt non nobis vitales ducimus auras,
Sic quoq; non nobis vitales linquimus auras,
Sed DOMINO, qui nos proprios sibi vendicat vni,
Quos ex hac misera vita, ad sublimia transfert
Templa poli, quæ nempe electis destinat vnis.
Per mortē, quasi per medium, migramus ad astra,
In quibus æterni datur aspicere ora Parentis,
Et Christum nostram gestantem cernere massam,
Et perscrutari reparatæ arcana salutis.
Hisce bonis frueris superata morte Meczini,
Hoc nobis tantò felicior omnibus, esto
Quotquot adhuc terris miserabile degimus æuum.
Sic igitur letho te nobis flemus ademtum,
Vt tamen ætherias arces gratemur adepto.

Amandus Polanus à Polansdorff. F.

LVCTVS IN OBITVM GENEROSI DOMINI CHRISTOphori Meczinij, &c. Equitis Poloni: Commilitonis mei charissimi.

AH quem defunctum montes syluæq; loquuntur,
Pictarum & volucrum garrula turba gemit.
Quem Charites lugent, luget Themis, ipsáq; Clio,
Luget Pierij cætera turba chori.
Et cuius pariter Rhenus, fontésq; propinqui,
Et campi & valles ingemuere malis:
Cur mea musa tacet? cur lumina sicca morantur
Edere mœstitiæ debita signa piæ?
Occidit heu nostros non vltimus inter amicos,
Meczinius, Clarij spésq; decúsq; chori.
Quem seruare sua vel debuit arte Machaon,
Vel Pallas lachrymis ingeniosa suis.
Quo vix alter erat doctæ studiosior artis,
Sinceræve magis relligionis amans.
Cuius in ingenua patrij candoris imago
Mente erat, & mores, cum pietate, probi.
Multáq; præterea generosæ semina mentis,
Quæ nimium ob luctum Musa referre nequit.
Certè olim fuerat magnus virtute futurus,
Mens iuueni cui tot dotibus aucta fuit.
Iámq; bonam patrius de illo spem ceperat orbis,
Sed mors spem cœptam noluit esse ratam.
Nec qui dignus erat Pyliæ par esse senectæ,
Vitæ annos potuit bis numerare nouem.
Sed, quid luctifico gerimus sic corda dolore
Plena, quid aut mœstos mittimus ore sonos?
Scilicet æthereas is lætus cessit ad arces,
Dulcia vbi dempto gaudia fine capit.
Nec precibus, nec iam lachrymis reuocabitur vllis
Invitam hanc, quæ mors verius esse queat.
Nec prius è terræ rediuiuus puluere surget,
Vox illum angelica quàm vocet alta tubæ.
Quare non vanis oneremus questibus auras,
Vt faciunt veri nescia corda Dei.
Currere sed metam sit nobis mens ad eandem,
Primáq; ad æthereas cura venire domos.
Illic rursus erit fas coram cernere vultus
Meczinij optatos, alloquióq; frui.

Cum DEVS à nostris lachrymas deterget ocellis,
A cunctisq; erimus libera turba malis.
Ergo, mihi cunctos vitæ memorande per annos,
CHRISTOPHORE in Christi rite quiesce sinu.
Quasq; damus lachrymas, memorem vt testemur amorem,
Quæq; damus tumulo carmina mœsta tuo,
Cuncta serenus habe, nunc ô puer addite diuis:
Sic cineri tellus sit leuis vsq; tuo.

Nicolai Latalii.

Θρῆνος

IN OBITVM GENEROSI ET NOBILIS adolescentis, D. Christophori Meczinii.

MORTVI ANNO:

BeatI qVos In fVtVra VIta VoLVIt esse DoMInVs.

VT *superum iussu mortalia lumina linquens,*
Sidera Meczinius iam subiturus erat:
Forte sub æthereis portis consedit Apollo,
Venerat, & mœsto Suada decora gradu.
Fatáq; Meczinij flere immatura parabant,
Et nimium sæua stamina secta manu.
Tum Phœbus tristes gemitus à pectore ducens,
Imo sic querulos fudit ab ore sonos.
Ergo taces ô chare puer, qui regna paterna
Linquens, sedulus huc ad mea regna venis?
Otia plus Scythicis odisti ignaua venenis,
Et cane segnitiem peius & angue grauem.
Lustraret proprio seu Titan lumine terras,
Cynthia seu regeret candida noctis iter,

Indefessus

Indefessus eras, nec dura negotia mentem,
Frangebant, studio peruigilante tuo.
Vera tibi pietas, animi tibi candor, honestas
Alma, tibi curæ, sancta fidésq; fuit.
Hinc merito nostræ te dilexere sorores,
Inq; suo fouit docta Minerua sinu.
Ast, heu, nunc raperis viridi, puer alme, sub æuo,
Vincere qui canum Nestora dignus eras.
Nec tua te virtus, nec te doctrina, nec artes,
Tam fato poterant eripuisse graui.
Gaudia quinetiam, nobis quæ læta, ferebas:
Vnica nunc nobis abstulit atra dies.
Abstulit atra dies, planctus, lachrymásq; relinquens,
Turba quibus cineres condit amata tuos.
Te nostræ Aoniæ deflent in valle sorores,
Tam diráq; dolent stamina rupta manu.
Cultorem amissum deflet generosa virago,
Quæ cerebro summi creditur orta Iouis.
Te positis deflet Mauors acerrimus armis,
Támq; cito abreptum terra Polona dolet.
At tu iam superas conscendens lætus ad arces,
Gaudia perpetuæ prosperitatis adis.
Nec te iam mundus, nec te mundana fatigant,
Non luctus, non te mœsta querela mouet.
Gaudia sed carpens nullis peritura diebus,
Tempora iam vitæ prosperioris agis.
Quæ tibi ne nimijs turbentur fletibus, ora
Contineat sua nunc officiosa cohors.
Vt tamen æternum Musis tua fama superstes
Esse queat, tristes effugiátq; rogos,
Carmina pauca dabo nostrum testantia luctum,
Quæ tumulo insculpet nostra camœna tuo.

CHRISTOPHORVS terræ quondam ſpes magna Polona,
MECZINIVS vili hac contumulatur humo.
Quem procul à patria Muſarum caſtra ſequentem
Suſtulit irata, Parca ſeuera, manu.
Ac tibi qui tranſis non ſit graue chare viator
Dicere, MECZINII molliter oſſa cubent.

Abrahamus Zbaſcius.

APOSTROPHE AD VIATOREM.

CErne vt peruerſis Lacheſis nòs impleat atra
Caſibus, & lætos non ſinit eſſe dies.
Cerne vt Meczinium, viridantis tempore vitæ,
Subtraxit Muſis inuida Clotho ſuis.
Inclyta non virtus, generis non ampla vetuſtas,
Non fatum fregit relligionis amor.
Herbula quid viridans? quid tollens pectoris æſtus?
Quid poſsit votis mens bona, parca docet.
Quamuis ergo adimas ferali numine corpus,
Nominis haud ſenſus inuidioſa adimas.
Mentio Meczinij nec non precioſior auro.
Ipſa rigat pietas, ſtet ſine labe fides.
Hinc nos exanimum corpus condamus in vrnam,
Extremi expectet temporis vſque diem.

Stanislai Latalij.

Εἰσαγωγικὸν

IN OBITVM GENEROSISSIMI
adoleſcentis, D. Chriſtophori Meczinij, Equitis Poloni.

ARmipotens tellus Mauortia me generauit,
Vt poſſem patriæ ciuis adeſſe meæ.

Artibus

Artibus ingenuis, donec me Alſatia traxit,
Parca mihi innocuo triſtia fata tulit.
Exemplo forſan eſſem vt tibi candide lector,
Mature & diſcas quo duce mortis iter.
Florida non ætas, non relligionis amores,
Non me ſeruarunt dogmata Muſa tua.
Me voluere quidem gentiles Neſtoris annos
Viuere, me Mater iuſſerat eſſe ſenem.
Obſtat ſed iuſsis his inclementia fati,
Qua bene iamdudum res meditata cadit.

A Chriſtophoro Drohoiouio F.

VERSICVLI VALVIS CAEMETERII
affixi, dum funus ducebat Generoſiſs. D. Chriſtophorus Meczinius.

SArmatia Europæ gentem de ſtemmate ducit
Meczinij, fert quæ præſenti funere pompam.
Abſens ipſa quidem, ſed miras intimat abſens
Funere virtutes, & magni nominis artes.
Menſis ab Auguſti qui traxit nomine nomen
Attulerat vix dum primæ veſtigia frontis,
Meczinium poſtquam ad iura immitiſsima mortis
Buccina poſcebat flendi vrgentiſsima fati.
Verùm quam noſter tum mentem pectore geſsit
Dum ſenſit verti poſtremæ tempora vitæ:
Num ſæua forſan ſubitæ vi mortis adactus,
A Chriſti vero confeſsi dogmate ceſsit?
Non: ſed me nouus hic moribundo teſte ſubiuit,
Occaſum modicè qui linguæ ſolueret ardor,
Ad ſuperas quo ſe lætus traduxit in auras.
Spiritus anhelans en nunc habitacula viuo

Sanguine

Sanguine qui gessit nobis animata, remigrat.
Hunc igitur læto rex cœli suscipe vultu,
Donec emigrans rursus calor ossa reuisat,
Quæ læta terræ depono mente sequestro.
Spiritus his dictis superas discessit ad arces,
Et tumulo vacuum corpus demente reliquit.
Euge quo potius defunctum nomine laudem.
Sarmatici primùm se magni gloria regni
Offert, qua patrias iactaret perbene sedes.
Adsunt Mecziniæ fausto res omine gestæ
Stirpis: materni clarescit nominis ortus.
En maior prodit felicis notula vitæ,
Recte scholam spectes si & magni nominis vrbem,
Moribus & studijs ambo quæ plurima possunt.
Ingenij tandem prælucet viuida virtus,
Sola suis referens æternæ præmia vitæ.
Hac patriæ lucrum, gentili hac stemmate laudes,
Hac sibi præ multis varios gessisset honores.
Vnde ergo versus referat se tanta maiestas,
Quæ plenam varijs tam gentem laudibus aquet.
Ergo tam gremio matris deposte quiesce.
Consitum erat vario sementis germine corpus,
Atq; breui largam fecisset tempore messem,
Fata nisi immisso rupissent turbine messem,
Quam nec porrectis varijs Podalirius herbis,
Nec seruare suis potuit gens Sarmata votis.
Est animi, fateor, mansueti notio luctus,
Vnius alterius secum mox passio ducit.
Sed nos nascentem pietas lenire dolorem
Iussit, & immodicos terroris tollere fluctus,
Ne mouisse magis mortis venientis imago
Constet, quàm amissi perdulcis gratia amici.

Nil

Nil prosunt lacrymæ, memoris plus gratia vitæ,
Qua tibi postremos hos concinnamus honores.

Christianus Bruno Croppenstadensis Saxo.

APOSTROPHE
QVA GENEROSVS ADOLESCENS
Dominus Christophorus Meczinski alloquitur fratres atque sorores.

SI generis splendor, si morum lumen honestum,
Si flos ætatis, si pietatis amor:
Deniq; Pieridum si constans cura sororum
Mouissent Parcas, numina dura, meas:
Certè dignus eram celebrati Nestoris æuo,
Dignus eram properos non subijsse rogos.
Sed quia sic visum est Christo, sic fata tulere,
Parendum est vitæ legibus atq; Deo.
Ergo dilecti fratres, charæq; sorores,
Cur mærent obitu pectora vestra meo?
Vixi, & quem dederat cursum natura, peregi,
Virtutum studio vita peracta mea est.
Sed ne plura meam vitam delicta manerent,
Christophorum Christus duxit ad astra poli.
Tempus erit cum me rediuiua carne decorum
Luminibus veris aspicietis item.

Ioannes Decius Vngarus.

EPITAPHIVM
IN OBITVM GENEROSI IVVENIS
Domini Christophori Meczinij à Kurozvveki, &c.

PRima cui casto gestare in pectore CHRISTVM
CHRISTOPHORO flagrans cura labórq; fuit.

F *Altera*

Altera nobilibus mundo clarescere factis,
Et celebres inter nomen habere viros.
En dum MECZINIVS cupio lustrare Camœnas
Quas fouet Alsatico docta Minerua sinu:
Me rapit ante diem violentia Mortis iniquæ,
Succidens genij germina pulchra mei.
ARGYROPE mea busta tenet: tumulatur in alma
Spiritus, æterna prosperitate, domo.

Ioannes Turnouius Polonus F.

EPICEDION

IN OBITVM GENEROSI D. D. Christophori Meczinii, &c. Equitis Poloni.

INclyta nobilitas & clarum nomen auorum,
Si quid honoris habent:
Si pietas, candor, si morum gratia, vitæ
Caussa perennis erat:
Si Musæ rigidas possunt his flectere Parcas,
Qui sua rura colunt:
Ingenium si quid, si virtus, mentis acumen,
Cura, laborq́ valent:
Si quid diuitiæ possunt, si munera, si quid
Lecta metalla queunt:
Deniq́ formosum si nil sibi iuris in æuum
Spicula mortis habent:
Cur tu MECZINI, vitale relinquere lumen
Cogeris ante diem?
O lux, ô patriæ decus, ô pulcherrima summi
Patris imago tui:
Dic, quæ te nostri capiant fastidia, quæ te
Causa sub astra vocet?

An

An quia pro curis perages ibi gaudia, proq́
Funere Fœnus ages?
An quia iam cernis quem degener Arrius olim
Oderat ille Deum?
Et quàm sint Christi quondam mansura Gigantes
Tristia fata, vides?
Est ita: forma vale, valeant argentea claro
Pondera lecta Tago.
Ingenium cedat, cedat quodcunq́ beatæ
Mentis acumen erat.
Nil mentem, corpusve magis, partásq́ secunda
Sorte moraris opes.
Ni velis ligna, Cereris iam fruge reperta
Glande leuare famem:
Ni velis ætherea, cum iam spacieris, in arce
Dona caduca sequi.
Hic te fluxus honos, illic æterna per omne
Gloria tempus habet:
Hic spatium labens, illic tot secula dempto
Fine beatus agis.
Hic tibi perpetuis conferta laboribus, illic
Vita quietis adest.
Vita quietis adest, qua nil præstantius vsquam
Totus Olympus habet.
Hinc te MECZINI non lugeo, lugeo nostram
Mœstus in orbe vicem.
Sed tempus tecum quondam cum forsan eâdem
Sede fruemur, erit.
Fallor? an hoc qui te dignatur munere, nobis
Ille negabit opem?
Interea viuas Christo precor addite, cuius
Nomen & omen habes.

 Paruáq́

Paruaq; quæ ferimus functo tibi munera, nostri
Pignus amoris habe.

Gallus Rhormannus Transyl. F.

ECLOGA FVNEBRIS,

IN OBITVM VERE PRAEMATVrum generosi ac doctissimi adolescentis, Domini Christophori Meczinij Poloni, in inclyta Argentinensium vrbe sepulti, à Philippo VValdeckero Gothano in humilitatis piæq; recordationis testimonium composita.

INTERLOCVTORES,

MELIBOEVS ET MENALCAS.

MEL. *Dum petimus muros, ac est via longa Menalca,*
Quid loquimur? citius salices tãgamus vt istas:
Fare aliquid, nobis & tædia temporis auffer.

MEN. *O vicine, mones: quæ non sine fletibus ausim*
Commemorare tibi: sunt quoq; acerba futura:
Inflixêre meo nam grandia vulnera cordi:
Si non audisti, repetamus in ordine summam.

MEL. *Triste quid expecto: forsan contagia dices*
Dira tui pecoris, vel pulchri funera tauri.
Non certè leuis est talis iactura, sed vdos
Sæpè oculos reddit: naufragia fecimus ipsi.

MEN. *Prosequor haud illud lachrymis: licet accidit illud*
Nobis: atq; gregem strauit durissima pestis.
Quòd queror, est aliquid grauius: nam spicula mortis
Confossêre hominem: proh quanta potentia mortis?
Qua quoq; non teneros iuuenes lactare veretur:
Et iuuenes, anni quorum prodesse viriles

Possent,

Possent, at insigne suæ decus addere stirpi.
Heu, heu, fata trahunt omnes discrimine nullo:
Vtq; armenta gregi lanio, taurisq; iuuencos
Mitset, vtrorumq; & iugulum mucrone resoluit:
Sic quoq; mors horrenda rapit iuuenesq; senesq;,
Et similis ferro (miserabile) conficit omnes.
Quod non plorarem: stolidos si tolleret: aut qui
Nulla videbantur laturi commoda vitæ:
Optima pars hominum semper conuellitur ense
Parcarum: reprobis plerunq; stat amplior ætas.

Nil nisi quod verum est, dicis, comes optime, verum MEL.
Non sic nos agimus, quando versamur in hortis:
Aetate exesas consueui cædere ramos,
Aut quos desperem fœtus dare posse per annos:
Quamprimùm miserum video marcescere truncum,
Brachia vel trunci viridanti fronde carere.
Huic minor exitium: si non correxerit illos
Defectus, meritis excindo bipennibus: at si
Stirpem aliquam nostros non fallere sentio cultus,
Quæq; sub autumnum pomis flexura videtur
Innumerabilibus ramos, & onusta futura est
Hanc amo, & hanc curo: ne noxia bestia rostro
Lædat eam, caueo, damnosa cuncta repello.
Inprimis autem, cum stirps est illa tenella:
Viuit, & in summas pulchrè caput erigit auras:
Ligna nouellarum conseruo: senilia perdo.
Quo nobis huius claudit pomeria mundi
Mortis mos nimium præposteris esse videtur.
Sed quem confossum dicis per spicula dictæ
Mortis? an ex huius quendam magnatibus vrbis?
An verò ex cœtus nostri pastoribus vnum?

Ex his non vllum noui cecidisse: sed illum MEN.

Lugeo, qui quondam magnates inter haberi
Debuit, & summus Phœbeo rure futurus
Pastor erat, iuuenem verè doctúmq; piúmq;,
Nomine MECZINIVM, generoso stemmate natum,
Quem te nosse puto, nam sæpè intrauimus ædes,
In quibus ille fuit: memini: frumenta vehebam,
Aestate elapsa, ciuili debita mensæ,
Et tu me cum aderas, aderat vicinus & alter:
Vidimus attoniti iuuenem, iuuenisq; Camœnas:
Sedit, & in libros pronus collegit vbiq;
Doctrinæ cumulos, Latÿ Graÿq; peritus
Sermonis: puræ constans pietatis amator:
Hospes virtutis: morum studiosus: & omnis,
Quod facit ad mentis dotes, sectator honesti.
Obstupui, quoties tam dona senilia vidi
In iuuene, atq; eius patriæ sum fausta precatus.

MEL. *Nescio quem dicas: an non intelligis illum,*
Terra Polonorum nostras quem misit in oras?
Quiq; viam carpsit per colles eminus istos,
Quorum summa vides vix hic fastigia tantum.
Est domus in muris: illic, vbi Curia Fratrum,
Non procul à summo templo, latissima pandit
Limina, sacratis Regum depicta figuris.
Fallimur? an verè tectis habitauit in istis?
Credo equidem: vexi namq; hordea sæpius illuc,
Nec rarò tauros trabibus subduximus istis.

MEN. *Est ita: viuebant alÿ quoq; quattuor ÿsdem*
In laribus iuuenes, sub eodem sole creati,
Et simul emissi patrum florentibus aulis,
Fontibus Aonÿs vt plenius ora rigarent:
Turba, simul patriam, simul hoc splendore Lycæum
Irradians magno: tanta virtute nitescunt.

Ah quàm concordes pacem coluisse feruntur:
Ordine quàm pulchro sanctos adÿsse penates
Palladis, ac auidè dictos hausisse liquores.

Ipse semel vidi, (casu versabar in vrbe) MEL.
Vnanimi gressu Musarum tendere ad arcem
Illos: vt vidi, mecum sic ipse loquebar:
Diuini pueri: campos liquêre paternos,
Atq; huc venerunt per mille pericula forsan,
Artibus vt possent alios & vincere linguis:
Iamq; in eo sudant, nullos fugiuntq; labores,
Otia sed fugiunt, quorum conceditur vsus
Nullus in his tectis, ad quæ properare videntur.
Sic illos tacitè mirabar, & aurea fata
Optabam studiis tàm fausto sydere cœptis.

Iam verò eripuit socium mors horrida: & illum MEN.
Non solum eripuit viuis: (dolor hic sat acerbus)
Sed quoq;, crede mihi, totis natalibus aruis,
Vt quæ expectabant ad magna negotia, & illum
Sperabant patriæ lumen columenq; futurum.

Heu mihi, quid dicis? commertia tanta fuisse MEL.
Rupta per inuisam mortem? nec gratior ætas,
Nec pia sedulitas tam ferrea spicula fregit?
Credo tamen, duras, fatalia numina, Parcas
Non lachrymas tenuisse suas, cum fila secare
Deberent tanti iuuenis, fundamina vitæ
Qui sic extruxit, reliquis vt posset in annis
Nominis excelsas educere ad astra columnas.

Sed tamen, in fatis CHRISTI, sua fata subiuit, MEN.
Atq; fide inuicta pugnam superauit agonis:
Dicitur in morbo summa virtute tulisse,
Si quando inciderent duri tormenta laboris:
Sæpeq; suspirasse polos, animaq; relicta

Deniq;

Denique sine bono vitam clausisse caducam

MEL. *Qui sic expirant, scimus vicine Menalca,*
Viuere, & antè DEVM cælesti sede reponi:
Atq; ibi lucidiùs cunctos lustrare thesauros,
Quos hîc in tenebris saltèm quasi acumine læso
Cernebant, sanctæ tot sunt bona maxima mortis.

MEN. *Nec mihi id est dubium, quin iam sit in arce receptus.*
AEtherea hic iuuenis, teneatq; sedilia summi
Gymnasij, quod voce sua bene personat ipse
CHRISTVS, & angelicus præsens exercitus audit
Idq; satis docuit pulcherrima pompa, cadauer
Qua fuit in terras sanctumq; cubile relatum:
Quando obitum plorans longissimus ordo virorum,
Vt surrecturi testis, fuit vrbe secutus:
Accinxere pium carmen pia turba canentum:
Atq; locum cælo pastor primarius vrbis
Certò promisit longo sermone sepulto.

MEL. *Quid ni promittat, qui tàm benè munera vitæ*
Gessit in his terris: & qui baptismatis vnda
Lotus erat, semper CHRISTIq; ardebat amore.
Talibus haud dubiè cæli stat ianua aperta.
Sed quis ad agnatos plangor luctusq; redibit?
Cùm dicetur eis, extinctum morte iacere,
Et patriam iuuenem non posse reuisere dulcem,

MEN. *In mentem reuoca: quàm tristia corda futura*
Sint tibi, si frater, peregrinas missus ad oras
Occumbat letho: quamuis sit rusticus ille,
Et queat haud tantas animo producere dotes:
Scire tamen poteris, quantis mœroribus illos
Nuncius afficiet fratrem qui dicet ademtum.
Attamen in mentem veniet: quod mortuus omni
Iam vacet ærumna, mundoq; ereptus iniquo

In

In patriam æthereæ tutus migrauerit vrbis:
In quam si veniat, quis non velit exul ab isto
Esse solo, primas in quo perceperit auras?
Sed iam permagnum pedibus confecimus æquor,
Et mihi, dum loquimur, longæ decedere visa
Multa viæ, quamuis carmen funebre locuti.
En sumus ad portas, per quas intrare solemus.

MEL. *Certè spe citius huc nos prouexit ab agris*
Hic sermo nostris: grates tibi dico, Menalca,
Quod mihi colloquio fastidia tanta leuaris:
Ast iuueni vita functo precor astra, quietis
Aeternæ sedem: viuis precor optima quæq;.

MEN. *Hæc etiam est mea mens. Sed iam te linquere cogor,*
Atq; in ciuili mea obire negotia turba,
Ergò vale, inq; tuo nostri memor esto regressu.

MEL. *Tu quoque sis saluus: mèq; expectabis ad istos,*
Quos cernis, colles: ibi iuncti plura loquemur.

Distichon continens annum, mensem, & diem mortis.

ALtera In aVgVsto Cessabat VIVere LVCe
MeCzInIVs: CæLo regna CVpIta tenet.

ALIVD.

Palladis ad celsam dum tendo Mecinius arcem,
Commoda sic patriæ dulcia vt inde feram.
Prærupti montis supero dum lætus eundo
Radicem, cædit stamina Parca: cado.

Andreas Voidouius Polonus.

G

Generosæ

Generosæ stirpis adolescenti

D. CHRISTOPHORO MECZINIO A CVROSVVEKI,

HÆREDI IN KLVVOVV, equiti Polono,

Argentinæ in castris Musarum

vita functo, intra adolescentiæ annum XVIII.
Anno 1590. 1. August.

ADAMVS THOBOLIVS
suo disciplinæ alumno
M. P.

Obseruantiam suam in Meczniorum familiam non minus vetusti, quàm celebris (heroicarum virtutum ergó) nominis testari volens.

MECZINIVS fueram: genuit me SARMATIS Ora:
Dumq; lito Musis: en tegor ARGYROPE.

Scire

Scire cupis tempus? Terrestria tecta reliqui,
QVanDo MIhI AVgVstI LVX prIor orta fVIt. { Annus Mensis & Dies obitus.
Ipsa tamen Virtus viuax manet: astra Fides dat:
Sic mea mi Lector, Funera morte carent.
Te quoq; si pariter terrent vestigia lethi,
VIRTVS ATQVE FIDES SINT TVA SCVTA: vale.

FINIS